



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

LXII. Posteriores literae prioribus praeiudicant, si non sint veritate tacita
impetratae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

rum tuæ prouinciæ teneant ecclesiæ tamquam personæ vel vicarii, nulla persona media, in quibus partes eorum ministrauerant, eos, siue geniti fuerint in sacerdotio, siue non, ab ipsis ecclesiis, contradictione & appellatione cœfante, non differas amouere. Si vero aliqui sint filii clericorum, qui ecclesiæ quas patres eorum tenuerunt, personis aliis mediis sunt adepti: eos, dummodo idonei sint, in ipsis poteris sustinere: ita quidem, quod si vñus plures ecclesiæ quas pater eius tenuerat, possidet, quarum vna possit sibi sufficere: ipsum vna, quam maluerit, appellatione remota, facias esse contentum: dummodo ecclesiæ non sint tales, quarum vna a reliqua pendere videatur.

C A P. L X I.

*Urbanus tertius * Senonensi archiepiscopo.*

Ad hæc cum nonnunquam inter aliquos parochianos tuos, vel inter eos & alios coram iudicibus delegatis agitur controuersia, sape a iudicibus ipsis, vt afferis, apostolica auctoritate tibi iniungitur, vt alteram partium forte contemnentem parere iudicio, vel ob aliam causam rationabilem ecclesiastica distictione percellas. Illi vero qui subiacere excommunicationi mandantur, literas ad alios iudices a sede apostolica impetrant, a quibus nihilo minus auctoritate apostolica tibi mandatur, vt eos qui de mandato priorum iudicum fuerant excommunicati, habeas absolutos. Super quo tua discretio dubitat, quid tibi in diuersitate huiusmodi sit agendum: ad quod respondemus, quod si literæ ad secundos iudices impetratae racita veritate non fuerint, eos ad mandatum eorum absolutos habere debes, præcipue cum Romana ecclesia absolutionem sententiæ delegatorum iudicum, nequam consueuerit aliis delegare: nisi in literis commissionis expresse contineatur de sufficienti cautione præstanta ab his, qui absolui debent, quod iudicio ecclesiæ debeant obedire.

C A P. L X I I. *Idem Legionensi episcopo.*

Ex literis tuæ fraternitatis nobis innotuit, quod diaconus præsentium lator, volens ante tempus ordinari in presbyterum, afferuit se per ordinationem tuam gradum fa-

ANNO CHRISTI 1179. cerdotalem adeptum : & cum ei manum non imposuisses, Missarum celebrationem publice vstupauit. Postmodum vero Domino inspirante , rediit ad seipsum , & proprium cognoscens exceſsum , in tanto sibi periculo consuli postulauit. Quia igitur super hoc tua nos duxit fraternitas confundendos , literis praesentibus respondemus , quod ad sacerdotis officium non poterit promoueri. A diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua prouisione maneat suspensus. De beneficio autem cum eo misericorditer agatur , ne sustentatione priuatus ad saeculi negotia reuertatur . Ut autem securius ei possis hanc facere misericordiam , de agenda poenitentia circa eum diligentem curam non desinas exhibere. Salubrius autem sibi absque dubio prouidebit , si ad regularem vitam se duxerit transferendum.

C A P. LXIII. *Idem Florentino episcopo.*

Literas fraternitatis tuæ debita benignitatè suscepimus , quibus certiores de sinceritate tuæ fidei & deuotionis effecti , ad honorem tuum & commodum abundantius prouocamur. Verum quia a nobis postulaſti , vtrum postquam desponsalia inter aliquas legitimas personas contracta fuerint , & antequam a viro mulier traducatur , alter eorum lepræ morbum incurrat , alter ad consummandam copulam maritalem compelli debeat , vt se possit ad secunda vota transferre : tuæ sollicitudini respondemus , quod ad accipiendum eum cogi non debet , cum inter eos matrimonium non sit consummatum.

De illa vero , quæ viro suo labente in haeresin , ipsius consortium declinavit , vtrum reuertente illo ad catholica veritatem , ad redintegrandum matrimonium sit cogenda : videtur nobis quod si mulier ea dumtaxat intentione discessit , vt lapsus in haeresin , tardio pariter & confusione affectus , se ab errore suo conuerteret : ei , cum reuersus fuerit , est reddenda : quæ etiam , si reuerti noluerit , compelletur. Si vero iudicio ecclesiæ fine spe matrimonii redintegrandi recessit , ad recipiendum eum nullatenus eam ducimus compellendam. De vxore vero , vtrum quemadmodum & vir , liberam debeat habere sepulturam , videtur nobis , quod nulla super hoc inter virum & mulierem sit differentia , sed utriusque , in casu isto , aqualem credimus esse fa-

Concil. Tom. 27.

Ccccc iii